

tentia de excessu, et post eam peractam dispensative possit ei Diaconatus officium reddere, et si perfectae vitae et conversationis fuerit, eum in Presbyterum ordinare. »

§ 66.

DE IRREGULARITATE EX HOMICIDIO.

De irregularitatibus ex defectu haec satis dicta sint, nunc ad crimina transeamus. Jam vero inter delicta quae arcent a canone, praecipuum est homicidium, et mutilatio, sive crimen publice, sive clam patratum sit, sive quis semetipsum, sive alium amputaverit. Homicidae etiam in veteri lege a sacro ministerio repellebantur, ut habemus Exodi cap. XXI: « Si quis per industram occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evellas eum. » Igitur jure S. Canonum si agatur de homicidio, aut mutilatione voluntaria, interdicuntur susceptione omnium ordinum, et susceptorum usu, et privationis beneficiorum, officiorum atque etiam depositionis poenam incurunt qui occidunt aut mutilant, et quotquot facto, mandato, consilio, exhortatione et auxilio participes caedis aut mutilationis sunt, quique animo occidendi causam ponunt, unde mors consequatur, veluti si venenum propinetur, si foetus animati abortus procuretur.

Verumtamen si homicidium, vel mutilatio aut praeter opinionem et fortuito, aut etiam inculpata defensione acciderit, tum ex regulis quae sequuntur, res tota existimanda est. Prima regula sit: Qui dat operam rei licitae, et eam diligentiam adhibet, ut nulla ratione homicidium praevideri potuerit, irregularis non est etiamsi homicidium inde sequatur. Vulgatissima est Honorii III responsio cap. 23 de Homic.; cum enim Sacerdos campanas pulsaret, ut signo dato ad divina mysteria populus conveniret, et inde cadens tintinnabulum quemdam puerum interfecisset, Pontifex respondit: « quod

dicto Sacerdoti, qui dabat operam rei licitae, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non praevidit. » Eodem pertinent caput 9, caput 15 eod. tit., aliaque plura quae silentio praetermittimus. Unde illud colliges, quod si Medicus aut Chirurgus suam artem optime calleat, omnemque diligentiam et studium in aegris curandis adhibeat, nulla irregularitate irretiri, etiamsi ex potionе aut incisione aeger aliquis perierit. Attamen Medici et Chirurgi licet nullius certae culpae meminerint, rescriptum dispensationis ad cautelam, ut aiunt, petere solent, antequam Ordinibus initientur. Qua de re legendus Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 13, cap. 10.

Secunda regula est: Qui dat operam rei licitae, sed omissione debitae diligentiae, aut imperitia hominem occidit, irregularitatem contrahit, quod ex superiori regula descendit. Confirmatur etiam ex cap. 7 de Homicid., ubi Alexander III edixit Sacerdotem ab altaris ministerio arcendum, qui puerum disciplinae causa in capite percussit, ut paucis post diebus exspiraverit.

Tertia regula est: Dans operam rei illicitae, quanquam diligentiam debitam adhibeat ne mors sequatur, tamen irregularis est si quempiam occiderit vel mutilaverit. Nimurum indirecte et in causa occidisse censem, admissa nempe actione illicita a qua abstinere debuisset. Verum haec regula Van-Espenio aliisque non probatur. Docent enim dantem operam rei illicitae irregulariter esse si res illa illicita erat, ac omitenda ob periculum homicidii, non autem si ob aliam causam omitti debuisset. « Ut homicidium, ait Van-Espenius part. 2 tit. 10 cap. 7, sit voluntarium in causa, requiritur, ut causam illam hic et nunc concurrentibus praesentibus circumstantiis debuisset omittere ne homicidium sequeretur. » Unde colligit Clericum dantem operam Chirurgiae, si mors inde sequatur, irregulariter habendum esse, licet diligentiam debitam adhibuerit, quod Clerici prohibeantur Chirurgiam exer-

106 CAP. VII. DE IIS QUI PROMOV. NON POSSUNT.

cere ob eam quoque causam ne periculo alicujus interimendi se objicant; contra vero a canone alienum non esse qui venatione clamorosa, sed tamen periculi vacua, ac diligentia adhibita, dum feram occidere putat, hominem interficit, quod Canones vetant Clericos non propter periculum homicidii, sed ob alias rationes venationibus hujusmodi vacare.

Si cui haec magis opinio arriserit, non repugnabo: dicam tamen regulam a nobis positam tum glossae in cap. 43 de Homicid., tum veterum Canonistarum auctoritate niti. Sunt praeterea Canonistae qui student utramque sententiam aliquo pacto conciliare; siquidem tradunt navantem operam rei licitae, unde homicidium sequatur nunquam alienum esse a Canone, nisi primum probetur debitam diligentiam omisisse; datum vero operam cuiquam rei illicitae, in foro externo irregulariter habendum, cum illud semper presumatur, quod diligentiam debitam non adhibuerit, donec legitime sese purgaverit. Quin imo Pyrrhus Corradus harum rerum peritissimus in praxi Dispensation. Apostol. lib 5 cap. 4 monet, dispensationem super irregularitate petendam, etiamsi homicidium casuale videatur; quae quidem praxis consentanea est decreto Concil. Trid. sess. 14 cap. 7 de Reform.

Quarta regula est: Qui mortem aliter vitare non valens suum invasorem occidit, non est alienus a Canone. Haec regula ipsissimis verbis tradita est a Clemente V in Clementin. unic. de Homicid.: « Si furiosus aut infans, seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censendum, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit ac mutilat invasorem. » Siquidem natura velut docemur vim virepellere, et vita nostra et tutelam suscipere: hinc L. 2 ff. De JUSTIT. ET JURE: « Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. » At vero si fuga, aut clamore, aut alia ratione vitari mors potuit, homicida habendus est qui invasorem occiderit. Quamvis enim, ut ait Innocentius III cap. 48 de

§ LXVI. DE IRREGULARITATE EX HOMICIDIO. 107

Homicid., vim vi repellere omnia jura et omnes leges permittant, tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelae non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. » Debitus etiam defensionis modus servandus est, ut « non amplius violentia se extendat, quam defensio exigit, » cap. 35 de sentent. excomm. Qui vero non ad vitam, sed potius ad bona defendenda ad caudem usque prosilierit, irregularitatis nota inuritur, quod respondit Alexander III cap. 10 de Homicid. his verbis: « Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, et rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus et transitoriis tam acriter in alios exardescere, abstineat humiliter ab altaris ministerio. »

Quod ad milites attinet, « communis Doctorum sententia est, ait Franciscus Sylvius in Resolut. variis ad verb. *irregularitas* 3, eos qui militant in bello injusto omnes contrahere irregularitatem si aliqui in isto bello occidentur vel mutilentur, etiam eos qui propriis manibus neque occiderunt quemquam neque mutilaverunt, quia omnes in bello injusto militantes integrant unam causam moralem, cui imputantur homicidia. Communis quoque sententia est Doctorum, eos qui in bello justo militant non fieri irregulares, si ipsi nullum per se occiderint vel mutilaverint, quamvis aliqui fuerint ibi ab aliis occisi vel mutilati quia caput PETITIO TUA de Homic. tales eximit ab irregularitate: ibi quippe Clericus assistens bello justo solum judicatur irregularis, si aliquem interficerit, vel si dubiam de hoc habeat conscientiam. » Sed in justo bello interdum hostem aggredimur, interdum nos tuemur atque defendimus. Igitur Doctores quidam sententiam a Sylvio expositam sequuntur, ubi agitur de bello justo in quo aggredimur hostem: dissentient autem quoties bellum justum ad defensionem Ecclesiae vel patriae committatur. Si enim periculum vitari aliter nequeat, et laici desint qui valeant vim illatam propulsare, tum quidem existimant Clericum irregulariter non esse, etiam si hostium aliquem interficerit, propterea quod eorum qui in

108 CAP. VII. DE IIS QUI PROMOV. NON POSSUNT.

justo bello pugnant, deterior esse conditio debeat, quam eorum qui extra bellum necessitate compulsi occidunt ne occiduntur, eoque magis quod pro patria et Religione certantes pro sua quoque incolumitate pugnare censendi sunt.

§ 67.

DE IRREGULARITATE EX ITERATIONE BAPTISMATIS.

Qui sciens Baptismi aquis jam ablutum salutari lavacro iterum perfundit, aut qui Baptismate jam regeneratus se iterum lustralibus aquis aspergi sinit, itemque in ejus Baptismatis reiteratione ministrantes, et demum ab haereticis absque necessitate baptismum recipientes alieni a canonesunt, ut Ordinibus nequeant initiari. Istaec irregularitas in odium haeresis reabatizantium, seu Donatistarum inducta est. Hac super re plures Canones exstant tum in Gratiani decreto, tum etiam in Decretalibus ad tit. *De Apostatis et dereiterantibus Baptisma*. Quia vero hujusmodi Canones de iterata Baptismi administratione tantummodo verba faciunt, idcirco irregulares habendi non sunt qui Sacramentum aliud vel Ordinis et Confirmationis iterum conferunt vel suscipiunt. Ab hac irregularitate, si publica sit, solum S. Pontifex dispensat, si vero occulta, etiam Episcopi dispensant, Trid. Synod. sess. 24 cap. 6.

§ 68.

DE IRREGULARITATE EX MALA SUSCEPTIONE ET PRAVO ORDINUM USU.

Irregulares quoque sunt qui prave Ordinessuscipiunt, vide-
licet : 1. Furtive ordinati, qui nempe ab Episcopo proprio non
probati, non admissi clam per dolum, seu temere ordinandis se
immiscent et ordinantur, cap. 1 et 2 De eo qui furt. Ordin. su-

S LXVIII. DE IRR. EX MAL. SUSC. ET PR. ORD. USU. 109

scep. 2. Ordinati ab Episcopo excommunicato, interdicto, suspenso, deposito, haeretico, schismatico, aut ab eo qui dignitati suae renuntiavit, et qui excommunicatione majore irretiti S. Ordines susceperunt. 3. Denique laborantes infamia juris ob crimen, de quo in jure confessi et rite damnati fuerunt, cap. ult. de temp. Ordinat.

Irregularitas oritur ex pravo ordinum usu, si quis nempe ministret in ordine non suscepto, aut si censura ligatus in eiusdem ordinibus audeat ministrare, aut denique si loco interdicto celebraverit. Quod ad primum attinet Hormisdas cap. 1 de Cler. non ordin. ministrante sancivit: « Si quis baptizaverit, aut aliquid divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia et nunquam ordinetur. » Ex quo Canone duo praesertim colliguntur: alterum est, laicos etiam irregulares fieri, si actum alicujus ordinis usurpaverint quod ea verba *si quis omnes universim actum Ordinis sine ordine exercentes complectuntur*: alterum est, ministrantes etiam in Ordinibus minoribus eadem irregularitate irretiri, cum ea poena generatim in eos sancita sit « qui aliquod divinum officium exercuerint. » Hodie vero cum laici passim in minoribus Ordinibus ministrent, dummodo id timere et tanquam ex officio proprio non egerint, ab irregularitate immunes sunt, quandoquidem ministrantes in ordine quo parent, praeципue « propter temeritatem abjiciuntur de Ecclesia, nec ordinantur » quae sunt verba ejusdem Canonis. At vero celebrantes Missam, vel fidelium confessiones excipientes sine Sacerdotali charactere acriter aliis poenis coercentur, atque etiam brachio saeculari traduntur; qua de re legenda est Constitutio Clementis XIII, cuius initium GRAVISSIMUM ATQUE EXECRABILE SCELUS, data die 20 Martii an. 1760.

Quemadmodum obeuntes functiones ordinis quo insigniti non sunt, sic usurpantes ministerium sacrum quo interdicuntur, alieni a Canone fiunt. Hujusmodi sunt excommunicati excommunicatione majori, etiam occulta, suspensi, interdicti

110 CAP. VII. DE IIS QUI PROMOV. NON POSSUNT.

et depositi, cap. 1 de sent. et re judicat. in 6^o, cap. Istum de sent. excommun. in 6^o et toto tit. de Clerico excommun. deposit. et interdic. ministrante, et generatim violatores censurarum. Imo Fagnanus ad cap 2. eod. tit. docet, Clericos etiam minorum ordinum irregularitatem non effugere, si censura aliqua irretiti ordines ipsos exerceant, propterea quod canones in ea poena constituenda majores inter et minores Ordines non distinguunt quae Fagnani sententia extra dubitationem posita est saltem intuitu Clerici, cui censura inusta ob simoniacam ordinationem; perspicua enim est Constitutio Sixti V contra male et simoniace promotos, data Nonis Jun. 1588 in qua hujusmodi Clerici simoniaci, si primae tonsurae aut minorum Ordinum functionibus dent operam, poena irregularitatis mulcantur.

Denique ob pravum ordinis usum alieni a Canone sunt, qui in loco interdicto sacrum faciant. « Is qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut a jure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari. » Ita Bonifacius VIII cap. 18 de sentent. excommunic. in 6^o. Si quis vero aut in Ecclesia polluta, aut coram excommunicato rem sacram confecerit, non inde irregularis est; quod Pontifex citato cap. explanavit: « qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta, vel qui praesentibus majori excommunicatione nodatis scienter celebrare praesumit, licet hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum non sit expressum in jure, laqueum non incurrit. » Tamen puniendus est ad arbitrium Superioris, ut notat glossa ibidem.

§ 69.

DE IRREGULARITATE PROPTER HAERESIM.

Innocentius I^{ep^a ad Episcopos Macedoniae cap. 4 docet}

§ LXIX. DE IRREGULAR. PROPTER HAERESIM. 111

perpetuam atque constantem Ecclesiae disciplinam esse, qua haereseos veneno polluti ab Ordinibus arcerentur. « Nostra, inquit, lex est Ecclesiae venientibus ab haereticis qui tamen illinc baptizati sint, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem; nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare. » Jure Decretalium non haereticī modo alieni a Canone sunt, verum etiam illi, qui cum haereticis aliquo pacto conjuncti sunt, quorum triplex genus est. Primum est eorum qui haereticis in crimine haeresis consortes et participes sunt. Alterum eorum est, qui quantum pravis erroribus non adhaereant, tamen errantibus favent, eosdem auxilio et ope juvando, et haereticorum receptatores, defensores et fautores in jure vocantur, cap. 2 de haeretic. in 6^o. Tertium genus eorum est qui etiamsi catholici sint, nec haereticis faveant, haereticis tamen communione sanguinis conjuncti sunt, videlicet filii haereticorum ad secundum gradum lineae paternae, maternae vero ad primum gradum, cit. cap. 2. Haereticī vero, etiamsi ad catholicam fidem redierint, non idcirco irregularitate solvuntur; at ipsorum filii, ejurata a parentibus haeresi, non amplius irregulares habentur, et sine ulla dispensatione, si idonei sint, ad ordines et beneficia ecclesiastica rite promoventur. Verum ambiguum est, an filii ex catholicis parentibus nati, et in Catholica Ecclesia baptizati fiant a Canone alieni, si parentes ipsorum in haeresim deinceps lapsi sint? Plures affirman, quod Canones ea poena afficiant filios haereticorum, inter filios in haeresi parentum natos ab aliis haereticorum filiis non distinguentes. Contra vero alii leges hujusmodi poenales mitius interpretati, rati sunt solos filios in haeresi parentum natos, et illic, ut ait Innocentius I, epistola citata, baptizatos eisdem poenis contineri.

Episcopi super hac irregularitate gratiam facere filiis haereticorum nequeunt; primo, ut inquit Fagnanus, « quia cum textus cap. QUICUMQUE de haereticis in 6^o contineat decretum

112 CAP. VIII. DE RELIQ. AD CLER. PERTINENTIBUS.

irritans : quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane : sequitur, ut Episcopus dispensare non possit. Nam etiam in adulterio, et minoribus criminibus Episcopus non potest dispensare, quando leges vel Canones prohibentes annullant actum factum contra prohibitionem. Deinde quia Nicolaus III in Constit. 2 incip. NOVERIT UNIVERSITAS statuit ut haeretici, eorumque filii usque ad secundam generationem beneficis habitis perpetuo careant, et ad alia similia nequam in posterum admittantur, quibus verbis censetur adempta Episcopis dispensandi facultas, ut notat glossa in cap. CUPIENTES verbo *Perpetuo* de Elect. in 6°. » Demum « quia cum versemur in concernentibus fidem et statum universalis Ecclesiae, qui per filios haereticorum ad officia et honores admissos, si paterna dogmata retinerent, labefactari posset, et ita tractemus de re graviori, consequens est Episcopum dispensare non posse, cap. DILECTUS de temp. Ordin., et ibi glossa verbo *Permitta*. » Hactenus Fagnanus in cap. 10 de Haeret. Interim monendum est auctoritatem concedendae veniae ob delictum publicum irregularibus ad Pontificem pertinere; Episcopos autem eas irregularitates relaxare quae ex occulto delicto proficiuntur; excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, aliquique exceptis, quae apud Judicem deductae fuerint, Concil. Trident. sess. 24 cap. 6 de Reform.

CAPUT VIII.

DE RELIQUIS AD CLERICOS PERTINENTIBUS.

§ 70.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

« Nihil est quod magis alios ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino

§ LXX. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM. 113

ministerio dedicarunt. Quapropter sic decet omnino Clericos vitam moresque omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliquique omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac Religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. » Haec de vita et honestate Clericorum Trid. Synodus sess. 24 cap. de Reformat. Itaque Clerici non modo omnem curam in interna morum honestate et sanctitate vitae sibi comparanda collocare debent, verum etiam eos oportet externum corporis cultum, et totam agendae vitae rationem ita componere, ut caeterorum offensionem et suspicionem devitent, ne per eos alii deteriores reddantur per quos deceret fieri meliores.

Jam vero quod pertinet ad externum corporis cultum existit lex tonsurae et vestis Clericalis deferenda. Etsi etenim habitus non faciat monachum, opus tamen est Clericos tonsuram seu coronam in vertice capitis conspicuam, et vestes proprio congruentes ordini semper induere, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Quamvis autem utraque lex sive tonsurae, sive vestis Clericalis antiquissima sit, primis tamen Ecclesiae saeculis minime exstitit, neque enim par fuit, ut ea tempestate Clerici rasum gestarent summum caput, vel uterentur habitu a laicis distincto, ne persecutionibus maxime saevientibus in Christianos, Tyrannorum odio ipsi se proderent et objicerent. At cessatis jam pridem his causis, Clerici saeculo sexto, ut multorum opinio est, Monachos aemulati ab iis acceperunt capitis tonsuram, quae humilitatis et modestiae tacita esset significatio, eodemque saeculo uti coeperunt habitu a laicis distincto, nempe Romanorum toga, quae vestis erat usque ad talos extensa : laici autem brevioris habitus formam a barbaris illatam adoptarunt.

Caeterum exploratum est, jam a quarto et quinto saeculo Ecclesiam sollicitam fuisse, ut vestes Clericorum modestia